

hæreditatem ab intestato adire vel nollet, vel non posset, succedunt præfato modo nepotes. Ita contra Hunn., docent Forsterus, 4, cap. xx, n. 8; Haunold., tract. V. cap. iii, contr. 2, n. 424; Besold., Manz. Vacconius, et alii, arg. l. VII. ff. de His, qui sui vel alieni juris. ibi: « Si qua poena pater affectus fuerit, ut vel civitatem amittat, vel servus poenæ efficiatur, sine dubio nepos loco filii succedit. » Accedit, quod etiam in his procedat juris ratio, videlicet memoriæ suæ in posteris propagatio, l. *Liberorum*. 220. ff. de Verb. signif. Et quia etiam tales vere ex sanguine avi descendunt.

23. *Nepotes naturales legitimi quomodo succedant?* — Resp. IV. Nepotes naturales legitimi per subsequens matrimonium, eodem modo, quo legitime nati avo ab intestato succedunt per jura n. 11. citata. De legitimis vero per rescriptum principis idem proportionaliter dicendum, quod de liberis legitimis n. 13. et seq. diximus. Ratio est, quia nomine liberorum etiam nepotes veniunt, ubi jura aliter specialiter non disponunt l. *Liberorum*. 220. ff. de Verb. signif.

24. *Nepotes naturales non legitimi succedunt avæ maternæ.* — Resp. V. Nepotes naturales non legitimi, etiam spurii proprie tales succedunt avæ maternæ, aliisque ascendentibus ex linea materna. Est communis l. *Modestinus*. 8. ff. *Unde cognati*. ibi: « Modestinus respondit, non ideo minus ad avæ maternæ bona ab intestato nepotes admitti, quod vulgo quæsi proponuntur. » Concordat, § *Novissime*. 3. Instit. ad S. C. *Orfitian.* et l. V. c. eod. ubi tamen limitatur conclusio in casu, quo mater est persona illustris, ac nepos spurius.

25. *Utrum vero paterno avo succedant, magna est controversia.* — Utrum autem, et quomodo naturales nepotes succedant avo paterno, magna controversia est inter doctores, qui tamen in hoc conveniunt, quod spurii proprie tales avo paterno nullatenus succedant, eo quod certum patrem non habeant. De Nepotibus naturalibus vero Schneidewin., lib. III. tit. I. de *Success. liberatur.* et alii dicunt, eos avo paterno nullatenus nec in duabus unciis succedere, arg. l. fin. c. de *Natural. liber.* ubi postquam statutum est, quod avus ex testamento pro libitu quædam relinquere possit nepotibus naturalibus, additur: « Sed hoc in his tantummodo sancimus, in quibus voluntate aliquid consecuti sunt. Jura et enim ab intestato

in avi successionem nemini eorum penitus aperimus. » Hanc sententiam amplectantur *Land-Recht* tit. XXXIX. a. 4.

26. E contra Covarruvias, de *Matrim.*, p. 2. cap. VIII. § 4. n. 18. cum aliis docet, nepotem naturalem eodem modo succedere avo, quo modo parens ejus defunctus, quem repræsentat, successisset, in duabus nempe unciis, si nulli legitimi descendentes, nec legitima extet uxor juxta dicta supra n. 15. arg. *Eadem*. l. fin. c. de *Natural. liber.* ibi: « Et hæc non solum eis accedere censemus a substantia avi paterni naturalis, vel etiam proavi, vel ejus cognationis. » Ex quibus verbis jus succedendi avo paterno ab intestato pro nepotibus erueri conantur. Verum prioris sententiæ doctorum hæc verba legis aliter interpretando respondent, videlicet quod intelligenda sint et referenda ad priorem textum, ut sensu sit, quod non tantum avus paternus, sed et proavus, etc., possint in testamento suum substantiam relinquere nepotibus naturalibus. Et sane hæc interpretatio doctorum consequenter etiam sententia eorum juri videtur conformior, quamvis etiam Covarruvias opinio sua probabilitate non careat. Ulteriorem hujus controversiæ examinationem relinquimus legistis.

27. *Contra jus commune habent statuta et consuetudines locorum circa successionem ab intestato, præsertim in Bavaria.* — Cæterum, quæ hactenus circa successionem descendentium ab intestato dicta sunt, de jure communi procedunt, contra quod varia habentur statuta particularia ac consuetudines locorum. Inter quæ etiam est, quod in aliquibus locis soli primogeniti succedant. In quibusdam locis feminae etiam legitimæ cum masculis nobilibus æqualiter non succedunt, sed contentæ esse debent certa per statuta municipalia, vel consuetudinem assignata portione, relicta substantia tota remanente masculis pro conservatione familiæ, quod idem etiam habetur statutum in Bavaria per novellam editam a serenissimo electore Ferdinando Maria 1672, 2 aprilis. Eadem Bavaricæ statuta etiam in hoc differunt a jure communi, quod nepotes naturales cum legitimis extantibus avæ maternæ ab intestato non succedant. cit. tit. XXXIX. a. 5.

## § III.

DE SUCCESSIONE ASCENDENTIUM ET COLLATERALIUM, FRATRUM NEMPE, ET ALIORUM SANGUINE JUNCTORUM.

28. *Deficientibus descendentiis et fratribus germanis, succedunt soli ascendentes.* — Quæritur I. Quomodo succedant parentes, et alii ascendentes, casu quo nulli existent descendentes defuncti? Resp. I. Si quis intestatus moritur sine liberis et nepotibus, etiam sine fratribus et sororibus germanis, id est ex utroque vinculo conjuncti, et sine horum liberis eidem ab intestato succedunt soli ascendentes, ita tamen, ut gradu proximior semper excludat gradu remotiorem; pater v. g. vel mater, avum et aviam defuncti. Omnes; quia ita, et ad longum statutum habetur novell. 118. cap. II. per quam etiam correctum est jus antiquum, vi cujus mater excludebatur a successione filiorum prin. Instit. ad S. C. *Tertyll.* Ordinatur insuper citata nov. 118. cap. II. quod pater et mater ab intestato liberis æqualiter succedant in capita, omnia vel plura filii v. g. bona ab uno parentum pater v. g. vel linea paterna proveniant juxta dicenda infra n. 30.

29. *Et quidem æquales in gradu, stirpes æqualiter.* — Resp. II. Quando plures ascendentes in secundo vel ulteriori gradu sine fratribus vel sororibus defuncti existunt, v. g. avus et avia paterni, una cum avo et avia maternis; aut cum solo avo materno, aut e contra, tunc succedunt æqualiter non quidem in capita, sed in stirpes, ita ut in tali casu mediam capiat avus et avia paterni; alteram vero avus et avia materni, vel unus horum, si solus cum aliis existit. Caret iterum controversia ob apertam juris dispositionem cit. novell. 118. cap. II. ibi: « Si plurimi ascendentiis vivunt, qui eundem habent gradum, ex eo inter eos hæreditas dividatur, ut medietatem quidem accipiant a patre ascendentes, quantocunque fuerint; medietatem vero reliquam a matre ascendentes, quantocunque eos inveniri confugerit. »

30. *Etiam si bona defuncti vel ex toto, vel a potiori ab uno, parentum veniant.* — Resp. III. Ascendentes tam in primo, quam secundo, aut ulteriori gradu æquali, præfato modo æqualiter succedunt descendentibus intestato, etsi hic cuncta, vel saltem plura a patre vel linea paterna, quam a matre, aut e con-

tra acquisita habeat. Fachin., lib. VI. cap. IV; Mynsinger, cent. 6, observ. 55, n. 3, dicens doctrinam conclusionis practicari in camera imperiali, Nicol. de Ubald., de *Succession. ab intest.* p. 2. n. 4; Pirhing, h. t. n. 12. cum communi aliorum contra Berlich., p. 3, concl. 20, n. 14. et seqq.; Schneidewin. Bartol. et nonnullos alios, arg. l. *Sed si plures*. 10. § *Filio*. ff. de *Vulg. et pupill. substit.* et cit. novella. 118. cap. II. ubi imperator generaliter, ac sine ulla distinctione honorum dicit, hæreditatem descendentiis inter ascendentes esse æqualiter dividendam. Ratio est, quia cuncta bona propria filii unum patrimonium, unamque hæreditatem efficiunt; nam hæreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit, l. *Hæreditas*. 62. ff. de *Reg. jur.* et l. *Nihil*. 24. ff. de *Verb. signif.* ergo, quia Novella dicit, totam hæreditatem æqualiter dividendam esse inter ascendentes, distinguere inter bona non debemus.

31. *Si cum ascendentiis existunt fratres germani, succedunt omnes in capita. Proximus, quis?* — Resp. IV. Si cum ascendentiis æqualis gradus, extant etiam germani fratres aut sorores defuncti, tunc omnes succedunt æqualiter et in capita, ita ut tot fiant portiones æquales, quot sunt capita, seu personæ; v. g. existunt una cum matre et patre defuncti tres fratres, fiant quinque portiones æqualiter dividendæ. Item si deficientibus etiam parentibus defuncti existunt ejusdem avus, et avia paterna; una cum avo materno, et tribus fratribus fiant sex æquales portiones, ut proin concursu fratrum faciat, quod successio ascendentiis, quæ, si soli essent, fieret in stirpes juxta dicta n. 29. fiat in capita. Ita desumitur ex novell. sæpe citata 118. cap. II. ibi: « Si cum ascendentiis inveniantur fratres aut sorores ex utrisque parentibus conjuncti defuncto, cum proximis gradu ascendentiis vocabantur, si et pater aut mater fuerit, dividenda quippe inter eos hæreditate secundum personarum numerum, uti et ascendentiis, et fratrum singuli æqualem habeant portionem. » Et ibi Glossa communiter recepta §. *Proximis*; Covarruvias, in *Epitome de Success. ab intestat.* n. 6; Fachin., lib. VI. cap. VII; Pirhing, h. t. n. 15. et communis aliorum. Nec obstat, quod in citata novella dicatur, « fratres succedere cum proximis gradu, » hi autem sint parentes, non item avus v. g. vel alii in ulteriori gradu ascendentes; ergo si paren-



